D. CAROLUS GOTTLOB KÜHN

PHYSIOL. ET PATHOL. PROF. P. O.

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

DIE II. JUNII MENSIS A. R. S. CIↃIↃCCCXX

IN

AUDITORIO IURIDICO CELEBRANDAM

INDICIT.

Commentationis de medicis nonnullis, in CAELII AURELIANI *de acutis morbis libr. I. c. 12—17. occurrentibus, continuatio I.*

Quae ante aliquot dies, ut conferendorum summorum in medicina honorum panegyrin indicerem, emissa est prolusio, ea id inprimis agebat, ut DIOCLIS Carystii scripta, quorum mentionem veteres scriptores iniiciunt, enumerarem. Inter quae cum omnium celebratissimum sit, quod de sanitate tuenda ab eo est compositum, de hoc non solum primo loco, sed fusius tractandum esse putavi. Iam igitur in eodem pergam loco, atque partim reliqua DIOCLIS scripta, quae tum CAELIUS AURELIANUS, tum alii antiqui scriptores commemoraverunt, enumerabo, partim fragmenta, quae praeter CAELIUM ATHENAEUS et GALENUS nobis servarunt, colligam.

Secundo loco ponendum esse censeo illud DIOCLIS opus, quod, GALENO teste *), Πάθος αἰτία καὶ θεραπεία, seu, uti CAELIUS AURELIANUS vertit, de passionibus, atque caussis et curationibus inscriptum est. Ex hoc ipso opere librum tricesimum octavum a THEODORO PRISCIANO de phys. scient. ad Euseb. fil. lib. IV. p. 315. b. ed. Aldin. laudatum fuisse male retulit J. A. FABRICIUS Bibl. graec. lib. VI. c. 7. p. m. 584. Etenim THEODORUS DIOCLIS tantum librum tricesimum octavum commemoravit, nullo addito operis titulo, ad quod pertinuerit. Mihi autem videtur THEODORUS ad commentarios respexisse, quos DIOCLES in quam plurima HIPPOCRATIS scripta composuit. Nam GALENUS meminit ejus in Hippocratis libros de officina medici, de articulis, de muliebribus, de prognosibus commentariorum, et THEODORUM alium commentarium DIOCLIS in HIPPOCRATEM de semine, a GALENO igno-

*) De locis adfect. libr. III. p. 278. to. III. et in Hippocr. aphor. to. V. p. 501. ed. Bas.

ratum, certe non laudatum, ante oculos habuisse, mihi probabile admodum est, ita, ut numerus XXXVIII aut ad numerum omnium omnino DIOCLIS scriptorum referendus, aut vox libri alio sensu, quam quo plerumque adhibetur, accipienda sit. Quarum quidem opinionum prior, quae majorem verisimilitudinis speciem prae se ferre mihi videtur, alio THEODORI loco firmatur *), quo HIPPOCRATES libro quadragesimo nono de infantis natura citatur. Sententia autem HIPPOCRATIS: infans (masculus) hominis formam accipit aliquando trigesimo die, legitur loco cit. p. 238. ed. Föes. (Lind. to. 1. p. 140. sect. X.). Nisi igitur librum h. l. pro sectione aut paragrapho sumi maluerimus, debet omnino numerus XLIX ad librorum Hippocraticorum numerum referri. In quorum enumeratione, ab ACKERMANNO in J. A. FABRICII bibl. graec. to. II. p 532 — 594. facta, commentarius *περὶ φύσεως παιδίου* quadragesimum quartum locum inter ea HIPPOCRATIS scripta, quae pro spuriis habentur, occupat. Potest igitur simili modo DIOCLIS liber tricesimus octavus intelligi, non qui componat majus opus, tot et pluribus forte libris constans, sed e libris, quos in universum conscripserit DIOCLES, tricesimus octavus.

Hujus operis frequentissimam mentionem iniecit CAELIUS AURELIANUS, cujus loca deinceps adferam, ut de doctrina DIOCLIS medica, utrum cum Hippocratis placitis semper conveniat, an interdum, et a praeceptoris sententia recedat, simul judicium accuratum ferri possit. Et is quidem acut. morb. libr. I. c. 12. de phrenitidis cura agens, monet primum, HIPPOCRATEM hujus morbi nomen tantum tetigisse libro, quem de ptisana **) scripserit. Dein aliquot loca partim e DIOCLIS

---

*) L. c. p. 515. b.

**) De hoc Hippocratis libro, cujus mentionem saepe scriptores antiqui faciunt, in Hippocratis operibus nunc, hoc quidem titulo, non comparente, vide, quae ACKERMANNUS in FABRIC. bibl. graec. lib. II. c. 23. (vol. II. p. 556. ss) disputavit. Triplici inscriptione liber hic laudatur a CAELIO. Praeter eam, quae h. l. occurrit ab ipso libri argumento petita, libro III. c. 4. p. 189. et pluribus aliis in locis vocatur liber, quem Hippocrates ad sententias Cnidias conscripsit, qui idem est cum illo de ptisana. Denique etiam hunc ipsum HIPPOCRATIS librum librum regularem appellat CAELIUS acut. morb. II. c. 19. p. 142. ad quem locum ALMELOVEEN. hunc librum periisse statuit, erroris ab ACKERMANNO l. c. p. 558. convictus. Illum genuinum quidem, sed vario modo corruptum, HIPPOCRATIS foetum esse, adseruit etiam ATHENAEUS deipnos. II.

libro de febribus, partim ex altero de passionibus atque caussis et curationibus adfert, quae quomodo phrenitidi medendum sit, ostendunt. Scilicet non solum ex brachio sed etiam de venis, quae sub lingua sunt, sanguinem esse detrahendum, suadet. — Longiorem locum deprompsit CAELIUS ex eodem DIOCLIS opere libr. II. c. 7. ubi hunc ob curationem lethargicis adhibitam reprehendit, quippe qua prohibeat demergi lethargos, acutissimis utens potionibus, atque iugiter corpus defricat, adhibens etiam sternutamenta; quae Graeci ptarmica vocaverunt: et neque manifestans, quas vocat, acutas potiones, utrum in qualitate acutas, ut est acetum, an officio usus, ut est celerrima transvoratio. Porro libr. II. c. 29. p. 143., de peripneumonicorum curatione pluribus DIOCLEM taxavit CAELIUS propterea, quod phlebotomandos dixerit et adhibendum tempus tacuerit; dehinc ventrem commovendum existimaverit, exagitans atque exsuccans interiora, addiderit etiam unguentum naribus admovendum et succum scamoniae, quem diagrydium adpellamus, et helleborum et opium succo consparsum, obsidens odoramentis perniciosissimis caput. Usque ad quintum diem mulsum ex aceto solum tandum praecipit, excitans profecto tumorem, constrictivae virtutis caussa, et immoderata abstinentia vires absumens. Utitur etiam cum his potionibus vexativis, absinthio infuso et thymo decoctis: et iisdem dans quoque transvorandum atque sorbendum passum cum aceto et mulso confecto. — Libr. III. c. 4. DIOCLES libro, quo de passion. et causs. et curat. scripsit, sanguinosos, inquit, homines ex utroque brachio phlebotomandos. Eos autem, qui minus sanguinis habuerint, solum scarificandos. Tum felle taurino cum herba pediculari, quam σταφίδα ἀγρίαν vocant, et nitro et cocco Cnidio, jugiter inquit ungendos, utens etiam gargarismatibus iisdem. Dat quoque sub lingua piper continendum, vaporans spongiis collum et cerotariis contegens, praecipiens aegrum tenuandum, ultra quam fas est. — Ejusdem libri c. 8. p. 213. DIOCLES libro, quo de passion. atque causs. atque curat. scripsit, tetanicis inquit adhibenda mictoria medicamina, quae appellavit diuretica; tum ventrem deducendum at-

---

c. 49. ed. Schweigh. Ἱπποκράτης ἐν τῷ περὶ πτισάνης, ὃ ἐκ τοῦ ἡμίσους μὲν νοθεύεται, ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ ὅλον, qui locus addendus est iis, qui a FABRICIO et ACKERMANNO aliisque, qui censuram librorum Hippocraticorum egerunt, hac de re sunt collecti. Meminit libri περὶ πτισάνης quoque ALEXANDR. APHROD. II. probl. 9. ad quem autem HIPPOCRATEM ille sit referendus, JO. MEURSIUS ad CHALCID. in Plat. Tim. p. 5. aeque se nescire fatetur, ac quis scripserit illum πρὸς τὰς Κνιδίας γνώμας, a POLLUCE (onom. X. c. 23.) commemoratum.

que vacuandum: dat etiam bibendum passum aquatum pueris, vel his, qui ex vulnere in passionem ceciderunt. Prohibet etiam cibum dari, et jubet ea, quae passione tenduntur, vaporari et emolliri. — Ejusdem libri c. 17. ubi de acuto tormento, quod Graeci ileon apellant, CAELIUS exposuit, alios in ea versari opinione, ut hunc ipsum morbum cum chordapso unum eundemque esse contendant, alios autem utrumque morbum a se invicem distinguere narrat, ut DIOCLES libro de passion. et causs. et curat. scripsit. „Etenim tormentum non sine ructationibus fieri dixit, atque emisso per podicem vento, sine stercorum egestione, ventrem quoque non necessario durum fieri et clysteris injectionem accipere: doloris etiam initium e superioribus magis accedere. In chordapso rejicere aegrotantes, si mediocris fuerit passio, humorem: si vehemens, stercora: et neque injectionem clysteris admittere, ventrem durum atque extentum jugiter, in orbem tumoris sublevatum, interiores intestinorum partes doloribus affici, stomachum quoque immobilem ac fixum, vel inflexum permanere." — Praeterea quoque multus est CAELIUS in enarranda curatione hujus tormenti atque reprehendenda p. 242. ss. DIOCLES autem libro, quo de pass. atque causs. et curat. scribit, phlebotomat in passione constitutos atque cataplasmatibus curat ex polline, quod Graeci ὠμὴν λύσιν vocant, et adipe et vino et faece. Tunc praepotat atque clysterizat, ex abrotani semine cum mulso, ex aceto et aristolochia et cumino et nitro et foeniculi radice decocta ex vino, admixta aqua marina, vel passo, vel acriore vino, sive lacte cum decoctione lini seminis, et mellis, et similibus — Cap. 21. p. 260. ostendit CAELIUS, quomodo curandi sint cholerici h. e. cholera adfecti, atque exposita HIPPOCRATIS hac de re sententia subjicit haec: „Item DIOCLES libro, quo de passion. atque earum causs. et curat. scripsit, frigerandos inquit cholericos, et donec depurgentur, nihil eis accipiendum: sed tunc, cum tempus visum fuerit, dandam frigidam et in vomitum provocandos: balanos etiam per podicem indendos. At si hyems fuerit, calida aqua utendum: tum nigrum dandum vinum cum polenta, atque provocato somno quiescendum: singultui vero dicit absinthium convenire, et ad solutionem bubulum vel caprinum lac, dimidiae heminae quantitate, cum papaveris albi succi cyatho dimidio et mali punici succo. Scribit etiam aliud curationis genus, quo memorat, cumino quoque atque sale et origano et his similibus potis utendum." — Praeter haec e libris CAELII de acutis morbis petita, fragmenta DIOCLIS, sexies adhuc idem liber de passion. et causs. et curat. in altera CAELIANI operis parte, quae de diuturnis morbis agit, commemoratur, atque non solum comme-

moratur, sed loca inde repetuntur satis longa de epilepsia *), de paralyticorum curatione **), de venae sectione adhibenda in sanguinis profluviis coërcendis ***), de phthisi †), de ischiadicis ††) et denique de arthritide sananda †††). Ex omnibus hisce locis efficitur hoc, non nisi unum huic DIOCLIS operi datum fuisse titulum, nec illud in varios libros distributum.

Denuo hujus commentationis filum abrumpendum est. Etenim indicanda esse videtur caussa, quae me impulit, ut illam ederem. Scilicet producendus et commendandus est Vir Ornatissimus atque Doctissimus,

GUILIELMUS CAROLUS MANN

Dessaviensis,

Medicinae Baccalaureus Dignissimus,

quem, sive morum integritatem, sive acerrimum, quod addisscendae arti medicae dicavit, studium consideraverim, meritis laudibus condecorandum esse censeo. Cujus quidem praeclari scholae nostrae alumni vitam, hactenus transactam, inprimis autem academicam, liceat iisdem verbis, quibus Candidatus eam ipse conscripsit, enarrare.

Natus sum Dessaviae anno MDCCXCVI patre Guilielmo Petro Mannio, Celsissimo Principi Anhaltino-Dessaviensi a consiliis camerae, et matre Dorothea Sophia Wilhelmina e gente Pfauiana. De patre optimo atque dilectissimo, quem ipso illo tempore, quo ad hanc academiam me deducere voluit, inexorabile fatum mihi eripuit, uti semper maxima cum pietate dolebo, ita de matre adhuc superstite quam maxime laetor, quae tantam meae educationi tribuit curam atque sollicitudinem et tanto amore me amplectitur, ut, quas illi referre possim gratias, haud video. Infantilem aetatem inter paternos parietes sub utriusque parentis cura transegi usque ad septimum aetatis annum, qua in discipulorum numerum scholae, quae in patria urbe floret, recep-

*) Libr. I. c. 4, p. 319.

**) Libr. II. c. 1. p. 362.

***) Libr. eod. c. 13, p. 415.

†) Ibid. c. 14. p. 426.

††) Libr. V. c. 1. p. 556.

†††) Libro eod. c. 2. p. 266. Sufficiant haec, quae attuli, loca: qui pluribus opus habet, poterit ea ex indice Caeliano haurire.

tus, per undecim annorum spatium optimorum praeceptorum VIETHII, FELDHANII, de MAREESII, RICHTERI, LAURENTII, BORNEMANNII et KINDSCHERI institutione sum usus. Quibus viris pro benevolentia favorisque documentis quam plurimis, quibus me ornarunt, publicas agendi gratias opportunitatem, quae mihi nunc commode oblata est, laetus arripio. Sic praeparatus anno MDCCCXVI in Academiam Lipsiensem me contuli, cujus civibus a b. ROSENMÜLLERO, t. t. Rectore Magnifico, adscriptus, b. PLATNERI praelectionibus, logicen, metaphysicen aliasque philosophiae doctrinas tradentibus interfui. In addiscenda anatomia b. ROSENMÜLLERI et Praecl. BOCKII, in chemia et physice Exc. GILBERTI, in botanice Exc. SCHWAEGRICHENI, in physiologia Exc. KÜHNII, et in eadem ac chirurgia Exp. ROBBI, in chemia et pharmacia Exc ESCHENBACHII institutione usus sum. Audivi et Exc. PUCHELTUM de pathologia et therapia disserentem, Exc. HAASIUM pharmacologiam docentem, Exc. JOERGIUM de arte obstetricia, morbis mulierum et deformitatibus corporis nostri curandis exponentem. Baccalaurei honores anno XVIII h. s. accepi, examine feliciter superato. Praeterea sub Ill. CLARI, Exc. WENDLERI et Exp. KUHLII auspiciis in regio instituto clinico per integrum annum, sicuti in Exc PUCHELTI policlinico per annum integrum cum dimidio aegrotorum curam suscepi, neque practicas institutiones in schola obstetricia duce Exc. JOERGIO neglexi. Medicinam denique forensem Exc. KÜHNIUS privatissime me docuit. Mense Januario h. a. examen, quod vocant rigorosum, subii.

In quo cum Ordini medicorum Lipsiensium optime satisfecisset, nihil omnino caussae aderat, ob quam venia, summos in arte salutari honores adipiscendi, privari posset. Conscripsit igitur dissertationem de via ac ratione, qua morbi simulati deprehendi possunt, quae majoris, quod molitur, operis de morborum simulatione particula est. Eam, me praeside, contra adversarios publice proximo die Veneris, qui est dies II. mensis Junii, defendet. Quo facto ego Cancellarii vicem gerens, pro ea, quae mihi concessa est, muneris mei auctoritate, praemissa oratiuncula, desideratam veniam Candidato dabo, doctoris in medicina ac chirurgia jura ac ornamenta acquirendi.

Quae quidem solemnitas longe honorificentior erit Candidato, si eam Rector academiae Magnificus, Principes Serenissimi, Comites Illustrissimi, Utriusque rei publicae Proceres Gravissimi, Commilitones Ornatissimi Aestumatissimique sua praesentia ornare velint. Hoc ut benevoli faciant atque sic favoris illustre mihi Ordinique meo documentum exhibeant, observantissimis precibus oro rogoque.

P. P. Festo S. S. Trinitatis. A. R. S. MDCCCXX.